

6  
HEBDOMAS IOANNEA

HOC EST

EXPLICATIO SEPTEM LOCORVM

PRIMAE IOANNIS EPISTOLAE

IN

GEORGIAE AVGVSTAE

AVDITORIO THEOLOGICO

PVBLICAE SVBIECTA DISPVTATIONI

D. XXX. MARTII MDCCXLIII.

PRAESIDE

CHRISTOPHORO AVGVSTO  
HEVMANNO

S. THEOL. D. EIVSQ. ET HIST. LIT. PROF.

A

IOANNE PETRO EBERHARDO

ALTONAVIENSI

S. THEOL. ET MATH. CVLT.

*N. J.*  
*in Epistolas Joannis.*

*459.*

---

GOTTINGAE

LITERIS IO. FRID. HAGERI.

Exeg.

C.

443,8







ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE  
H. T. PRORECTOR  
IO. ANDR. SEGNERVS D.  
NOBILISSIMO RESPONDENTI  
S.

**M**erito Tibi gratulor, mi suauissime EBERHARDE, non de eo modo ingenii viuidi & fere praecocis specimine, quod iam publice sistis, verum de illis etiam, quae quotidie apud me priuatim edidisti Analytica Tibi tradentem ea aetate, qua multum se profecisse alii existimant, si *Elementorum mathematicorum* aliqua sint adsequuti. Recordabor perpetuo summa cum voluptate eius temporis, quod Tecum ita impendi, atque eius promptitudinis, qua ducentem saepe praegressus, nunquam non facile es sequutus. Quod utique mihi spem facit, siue ad alienas disciplinas transtuleris, quam Geometria perfecisti, ingenii vim, atque e rebus obuiis exacto neque titubante ratiocinio, quae iis vera insunt, deducendi facultatem, siue ipsa Mathemata delicias Tuas feceris, praeclara vbique & utilissima abs Te esse profectura. Modo DEVS aetatem Tibi addat, atque eorum, quibus disciplinarum incrementa commendata esse debent, fauore, quem mereris, studium Tuum porro excitet. Quod ita fieri vt velit, vtque Venerandum parentem Tuum in partem eius voluptatis, quae ex liberorum praeclare gestis vera solidissimaque capitur, quam maximam conseruet, Vester omni studio, precor. Vale.

E Museo Gottingae d. 29. Martii


1743.



DOCTISSIMO COMMILITONI  
NUNC SVO  
IO. PETRO EBERHARDO  
S. D. PRAESES.

**S**ecundi tui decennii quintum demum emensus annum sustines prodire in scenam disputatoriam & erudito Senatui populoque esse spectaculo? Laudo, AMICE. Non est enim haec audacia, sed iustissima fiducia. Tam longe scilicet iam progressus es in stadio literario, ut, quae nunc est in te scientia, eam si aetatis tuae anno vigesimo ostendisses, fuisset tibi prolixè gratulaturi. Nunc eo cupidius tibi gratulantur boni omnes, qui tantula aetate te virum iam praestes, & fortiter in arenam descendas publicam. Laudarem te etiam, nisi iam olim turpe fuisset iudicatum, triumphum canere ante victoriam. Expectabis igitur facti huius tui laudes paulisper, ut quae & merearis eas & consequaris, in cathedra, quam cras conscendes, anniteris. Illud equidem venerando tuo PATRI, qui comitem tibi se dedit vitae Academicae perpetuum, praedicere ausifim, fore, ut eruditus & disertus & modestus disputator fuisse dicaris ab omnibus: qui & nouit, quanta vi intenderis ingenium, ut verum assequeris sensum IOANNIS iis locis, quae tractat nostra haec Disputatio. Age vero gratias age fonti bonorum omnium, DEO, qui tam praestans ingenium tantamque eruditionis consequendae cupiditatem tibi dedit: &, ad eius cultum gloriamque omne tuum literarium studium referri oportere, semper cogita. Vale. D. XXIX. Martii  
CLXCCXLIII.





D. G.

P R O O E M I V M.

**D**ulcissima piis mentibus est haec IOANNIS epistola, tam suavi varietate tamque varia suauitate commendantis amorem DEI & proximi atque intimam cum PATRE & FILIO coniunctionem, vt, cum eadem vbique praecipiat, tamen diuersa videatur tradere ob miram Spiritus illius, qui per ipsum loquitur, facundiam. Verissime Marsilius (a) Ficinus: *Inest huic epistolae absque verborum furo nectarea dulcedo sensusque diuinus.* Quantam enim hoc habet dulcedinem, quod apostolus hic amabilissimum in modum deducit Christianos ad firmam mundique victricem in CHRISTVM fidem, ad communionem cum DEO & eius filio, ad lucem vitae sanctissimae, ad flagrantissimum amorem DEI nascensque hinc fidele ac filiale obsequium, ad amicitiam cum fratribus sinceram, ad gaudium solidissimum e fuga peccati & studio virtutis perpetuo prognascens, ad certissimam spem aeternae post hanc vitam felicitatis, coniunctam cum *παρρησία* obuiam olim procedendi nouissimi diei iudicii! Breuius dici potest, hanc epistolam esse *paraenesin ad fideles in commu-  
nitione*

(a) In libri *de religione Christiana* cap. 35. p. 464.

A



nione cum Patre, ac praecipue cum Filio, constanter retinendos tendentem: id quod non ita pridem in singulari Dissertatione docuit & vberime exposuit Venerandus noster Oporinus: qui simul demonstravit lucidissime, non esse scriptam hanc epistolam ἀφοριστικῶς, (quae nonnullorum interpretum fuit sententia,) sed omnia huius epistolae a capite ad calcem esse connexissima.

Admixtum autem esse summae huius epistolae dulcedini nonnihil amari, negari non potest. Ea dico loca, quorum sensum non statim capimus, & quae etiam saepius relecta nostram fugere videntur intelligentiam. Hinc tantae interpretum discordiae. Nos autem clauem hanc harum obscuritatum esse putamus, vt obseruetur, realem magis, quam verbalem, esse Ioannis eloquentiam. Quare, eam qui legit, non tam ad ipsa verba, quam ad scopum eius, ad antecedentia & consequentia, ad rem ipsam, quae tractatur, intentissimam tenere debet mentis suae aciem. Quo pacto multa tandem euadent dilucida, quae initio videbantur obducta caligine. Nos quidem nunc (b) septem huius epistolae loca contemplantur, quorum sensum diu multumque vestigauimus, tandemque (ita certe persuasum habemus,) fauente DEO assecuti sumus.

Antea tamen, quam ad rem ipsam progredimur, occurrit aliquid, quod nobis lectoribusque nostris reuocandum videtur in memoriam. Scilicet *doctae sapientiae* est, operam dare, vt tota haec IOANNIS epistola intelligatur,  
tota

(b) Alia duo huius epistolae loca iam dudum sumus interpretati. — Iam a. 1711. ad cap. V. 20. prodiit mea Disputatio: quam postea per diligentem recognitam adiunxi *Parergis* meis *Criticis*: in qua Deitatem CHRISTI vindico aduersus obscurantes eum locum Socinianos. A. 1721. ad cap. II. 20. edidi Dissertationem, insertam postea *Bibliothecae Bremensis* Tomo quarto p. 991. sqq. Nuper etiam in singulari Dissertatione causam exposui, cur careat haec Ioannis epistola inscriptione & salutatione.



tota quippe nobis scripta omnique Christianae posteritati. *Piae sapientiae* est, plus operae dare, ut praestemus, quae hic praecepit nobis Ioannes perspicue, quam ut intelligamus, quae hic sunt obscura. Iis, quae *obscura* sunt, debetur sane (c) *attentio*: iis, quae *clara* sunt, debetur *obedientia*, & quidem promissima & perpetua. Posterior facit pios lectores, prior doctos & eruditos. Gratiorem autem DEO facit hominem multa pietas, quam multa eruditio. Haec enim est ornamentum hominis Christiani, illa essentialia eius criterium. Ac debemus Christiani esse omnes, non debemus omnes esse Theologi.

I.

CAP. V. 16.

Ἔστιν ἀμαρτία πρὸς θάνατον. Οὐ περὶ ἐκείνης λέγω ἵνα ἐρωτήσῃ.

Illaudatum hic praeterire non possumus magnum illum & moralis & polemicae theologiae antistitem, Ioannem Placetium, quod ingenue (a) fatetur, se nondum peruestigasse, quid sit Ioannis *peccatum ad mortem*. Rara profecto in Theologis virtus: quorum maxima pars nihil nescire sibi videtur, omniaque certa ratione audacter definit, ac praeterea iis, qui assentiri grauantur, irascitur vehementissime. Huius ab ipso Paulo haud obscure (b) commendatae virtutis & nos cultores praestamus, liberaliter fatentes, in sacri codicis lectione permulta nobis occurrisse loca, quorum sensum quantacunque adhibita industria perspicere nobis non licuerit. Nec vero propterea segniores facti sumus in studio exegetico, sed contenti γινώσκων ἐκ μέγας, obscura loca multa reddere perspicua conati sumus nec

A 2

tempo-

(c) Debemus enim ἐρευνᾶν τὰς γραφαίς, Ιοαν. V. 39.

(a) *Theol. mor.* P. VI. p. 81. versionis Germ.

(b) 1. Cor. XIII. 9. 10. & 12.



tempori parcentes nec labori. Itaque, quod aliis multis accidit, qui industriae hermeneuticae pias adiunxerunt preces, nos quoque subinde hoc impensissimi laboris tulimus praemium, ut obscurissimis locis suus a nobis redderetur sensus vel plane certissimum vel saltem probabilissimum in modum. Ac ad locum quidem hunc Ioannis quod attinet, multos quoque annos sine successu eum inspeximus, libenterque fassi sumus, nos, quid sibi velit Ioannes, haud habere cognitum. Nec tamen labor toties irritus nos finem coëgit imponere nostrae meditationi, sed, quoties ad eum delati sumus, denuo intendere mentis aciem nobis iucundum fuit. Cumque tandem verum eius sensum inuenisse nobis videamur, nostram interpretationem nunc publice exhibemus, ea tamen vtentes modestia, ut, si, & nos errasse, demonstratum fuerit liquido, errorem simus haud aegre agnitori, certiolemque & clariorem, quae prolata fuerit, interpretationem amplexaturi.

Antea vero, quam nostram expromimus sententiam, tres doctissimorum virorum, qui & ipsi hunc locum attentissime considerarunt, proferre interpretationes, curque eas reiiciamus, docere libet. Primum teneat locum, qui eorum est nouissimus, Harduinus, mirabilis verius, quam admirabilis ingenii vir, cuius nuper prodiit Paraphrasis in *Nouum Testamentum* stipata annotationibus. Hic igitur hunc Ioannis versum cum versu postremo connectit, ac ita *παρὰ φράσιν* *Qui vestrum scit, fratrem suum actum aliquem idololatriae efficere, qui tamen propterea nolit a DEO & CHRISTO penitus deficere, hoc est, transire ad castra idololatrarum, & ibi vitam omnem agere usque ad mortem; petat a DEO, & dabitur ei, ut frater resipiscat ab illo actu idololatriae, in quo noluit usque ad mortem perseuerare. Est enim defectio a DEO & CHRISTO, quando quis transiens ad castra infidelium, DEO & CHRISTO derelicto, statuit in ea infidelitate vitam finire. Non pro illo dico fore, ut, si roget quis, quod rogabit, impetret.* Haec interpretatio cum solo

solo



solo hoc fundamento nitatur: *Harduinus* ἔφα, iure ab iis, qui vocem eius non habent pro oraculo, sine mora reiicitur.

Audiamus nunc *Werenfelsium*, virum iudicandi facultate instructissimum. Hic in *Sylloge Dissertationum Theologicarum* (c) significari putat eiusmodi peccatum, quod DEVS decreuerit punire *morte temporali*, idque sine vlla spe remissionis. At cum talia DEI decreta scire non sit hominis, concedit, Christianos illo ipso *Ioannis* tempore ignorasse, quatenam peccata sint eius generis, adeoque & nesciuisse, quando hae preces faciendae, quando omittendae sint; hinc ex euentu demum eos cognouisse, peccatum alicuius fratris, pro quo orarunt, fuisse peccatum ad mortem. Nobis vero haec interpretatio se probat minime: imo abunde se prodit eius falsitas. Clare enim supponit *Ioannes*, eos, ad quos scribit, sciuisse, quid significet nomine *peccati ad mortem*. Clare item docet, eos pro iis, quos videant peccare ad mortem, orare non debere.

Probabilitatis plus prae se fert eorum sententia, qui, *mortem spiritualem* innui ab apostolo, existimant. Inter hos est *Wolfgangus* (d) *Franzius*, significari credens peccata proaeretica & habitualia: qui tamen ipsemet suam hanc subruit sententiam, cum tandem (e) concedit, fas omnino esse pro huiusmodi peccatoribus orare; incertum autem esse, an preces pro iis DEVS sit exauditurus. Non multum diuersa est *Ioannis* (f) *Chreyghtoni*, Theologi *Franekerani*, sententia. Hic enim & ipse mortem hominis spiritualem describi putat, negarique, pro iis orandum

A 3

dum

(c) P. 470. sqq. Placuit haec interpretatio *Ψευδωνύμω* *Amelio* T. II. *Erörterung der dunkelsten Schriftstellen* p. 880. sq. & *Infantio* ad novam *Versionem N. T. Gallicam*.

(d) In libro *de interpretatione Scripturae sacrae*, *Orac. VII. p. 127. sqq.* Eadem est *Zeltneri* sententia, *Grotii* item & *Hammondi*.

(e) P. 130.

(f) In *Comment. ad hanc Ioannis epistolam*: vnde haec repetuntur in *Actis eruditorum* anni 1705. p. 271.



dum esse, qui vsque adeo sint in peccatis mortui & indurati, vt, cum nulli adhortationi locum relinquunt, merito desperentur. Optare quidem fas esse, adiicit, vt peccator talis ad sanam mentem redeat; sed cum fiducia tamen pro eo precari Christianos non posse. Annon autem hoc ipso aduersus se pugnat vir doctissimus? Quod optare licet, nonne id & precibus a DEO petere licet? Iam vero id fieri vetat sanctissimus apostolus.

Venimus ad eos, qui de *peccato in Spiritum S.* loquuntur apostolum nostrum. Iam olim ita sensit Beza, postea nostrorum Theologorum multi, Hunnius, Gerhardus, Hemmingius, Calouius, Horneius, Wolfius, Ven. Langius. Ac Baierus, Ienensis quondam Theologus, a. 1688. singulari (g) Disp. tuitus est hanc sententiam. Nec nobis falsa videtur haec interpretatio. Manifestum est enim, describi ab Ioanne peccatum irremissibile. Ob id ipsum enim pro tali peccatore orari vetat, quia non fit spes veniae. Ex quo sequitur, hoc peccatum non agnosci a peccatore, adeoque eius eum non agere poenitentiam, nec a DEO, vt sibi ignoscat, suppliciter petere: quale peccatum non potest non sequi mors aeterna. Assentimur igitur, de *peccato in Spiritum S.* loqui hic apostolum. Non autem debebant hic acquiescere isti Theologi, sed inuestigare praeterea occasionem, qua delatus est Ioannes ad huius peccati mentionem, itemque circumspicere, quo de genere peccati in Spiritum S. loquatur apostolus. Vtrumque erant inuenturi, si satis longe (b)

(g) Idem in *Comp. Theol. posit. P. II. cap. 3. §. 24. p. 551.* ita docet.

(b) Inter nostri loci interpretes etiam Ven. Rusmeierus obseruauit p. 410, respici a Ioanne illos haereticos, quos supra dixerat negare, Iesum esse Christum; sed non satis diu meditationi huic inhaerens, deinceps alio diuertit, p. 415. *sqq.* putans, eos significari homines, qui, cum Iesum agnouissent filium DEI, postea ab eo defecerint. Haec vero non est hoc loco Ioannis sententia. Ac iam antea Ven.



respexissent ad ea, quae antea differuerat Ioannes. Verum, id quod multis aliis exegeticis erroribus locum fecit, extra contextum hic locus ab ipsis consideratus fuit. Id proinde negotii nobis nunc damus, vt, quosnam peccatores in Spiritum S. ob oculos habeat apostolus, inspecta tota hac epistola cognoscamus.

Scripta scilicet haec est epistola ad confirmandos in vera fide veraque pietate Christianos. Iam cum illa tempestate exorti essent, qui docerent, verum quidem prophetam fuisse IESVM, sed non item verum Messiam, non aeternum DEI filium: quae quidem doctrina ipsum Christianae religionis fundamentum euertebat; Ioannes acerrimo zelo in hos inuehebatur, ac tanquam antichristos a societate Christianorum hominum remouebat longissime. Haec, quae diximus, proferuntur *cap. II. 18. & 22. IV. 2. 3. 14. 15. V. 1. 5. 9. -13.* Hoc ipso vero peccabant isti doctores peccatum in Spiritum Sanctum. Cum enim docerent apostoli, verum Messiam atque aeternum DEI filium esse IESVM, perque hos id doceret Spiritus sanctus, quo agitante eos docere manifestissimum faciebant miracula a Spiritu sancto per eos patrata, non minus hi *ψευδοδιδάσκαλοι* peccabant in Spiritum sanctum, quam antea peccarant Pharisei, qui CHRISTI miraculis non fuerant permoti ad agnoscendam doctrinae eius veritatem diuinissimam. Non quidem illud ipsum peccatum in Spiritum sanctum peccabant, quod peccarant Pharisei, sed tamen simillimum. Pharisei namque reiiciebant doctrinam a IESV miraculis firmatam, quorum repraesentatione Spiritus sanctus mouere ipsos studebat ad IESVM pro Messia amplexandum: hi doctrinam ab apostolis ita traditam, vt editis miraculis, se a DEO missos esse, sua lingua Spiritum sanctum loqui,

Ven. Langius in *Comm. Latino* in hanc *Epistolam* p. 645. istum Ioannis respectum animaduertat, sed nec ipse satis longe in hac meditatione progressus.



loqui, demonstrarent clarissime, nihilominus contemnebant, suaeque Rationis somnia coelestibus anteferebant oraculis. Omnem itaque in corda sua aditum praecludentes Spiritui sancto irreuocabiliter ruebant in suum interitum, adeoque ipsi suum peccatum reddebant irremissibile. Illud enim appellatur peccatum in Spiritum sanctum, cum quis ultimo conuertendi conatui Spiritus sancti resistit, nec eo se flecti patitur. Iam ubi ne miracula quidem mouent hominem, omnis spes conuersionis euanescit: cum miraculis ad persuadendum nihil sit efficacius, & qui miracula videns DEVM non videt, hoc ipso doceat, caecitatem suam esse immedicabilem. Pro eo igitur, qui apostolorum, IESVM esse Christum & filium Dei vnigenitum, docentium doctrinam non suscipiat, orari vetat Ioannes, eosque numero Christianorum excludit. Nec igitur negligendum, quod *fratri* peccatum non ad mortem peccanti opponit peccatorem ad mortem, hunc non vocans *fratrem*, hoc est, Christiani gregis ouem, sed hoc ipso, ecclesiae eum esse membrum, negans. De quo & *v. 10.* ait, eum, dum non habeat fidem apostolis miracula certissime diuina patrantibus, ipsum DEVM habere pro mendaciloquo, adeoque (*v. 12.*) carere vita spirituali, proptereaque nec aeternae illius vitae futurum esse consortem. Quo ipso sermone etiam CHRISTVS ad ἅπας Iudaeos utebatur *Ioan. VIII. 24: Si mihi tanta edenti miracula (vid. Ioan. V. 36. & X. 37. 38.) non creditis, me esse Messiam, in peccatis vestris moriemini*, hoc est, non potestis non mori. Ad dimus exemplum talis in Spiritum sanctum peccatoris ex *2. Tim. IV. 14.* Alexandrum, obstinatissime reiicientem ac respuentem Paulinam doctrinam: pro quo non orat Paulus, cum pro fratribus, qui peccatum non ad mortem peccauerant, *v. 16.* pium votum emittat, ac DEVM, vt his ignoscat, precetur.

Nunc



Nunc igitur haud est difficilis paraphrasis loci nostri, quae ita fluat necesse est: *Si quis videt, fratrem suum, hoc est, Christianum ac doctrinae apostolicae addictum, peccare tale peccatum, quod non consistit in ἀπιστία, qua IESVS negatur esse Messias & filius DEI, quippe quae mortem affert in hac vita spirituales, futura in vita aeternam; sed eiusmodi peccatum, quod peccatum morale esse agnoscit, & eius agens poenitentiam implorat DEI misericordiam; pro eo fratre & ipse precabitur DEVM, ut commissum ab eo peccatum propter Christum (1. Ioan. II. 1.) propitius remittat. Et audiet has preces DEVS, ac talibus poenitentiam agentibus peccatoribus ignoscet. Est autem peccatum quoddam, quod, quia eius non poenitet peccatorem, sed is in peccato suo perseverat securissime, non remittitur, sed aeterna morte puniatur, cum videlicet quis in CHRISTVM ab apostolis praedicatum non credit, sed, IESVM esse Christum, negat. Absurdum igitur est pro tali peccatore rogare DEVM, ut ipsius peccato ignoscat.*

Respondere nunc etiam possumus ad obiectionem, quam Baierus (i) profert, ac simul haud obscure fatetur, se nec sibi nec lectoribus satisfacere posse. Ioannes scilicet clare significat, a fratribus cognosci eos posse, qui ad mortem peccent. Iam vero vulgo docetur, quis in Spiritum sanctum peccet, cognosci, nisi ex euentu, non posse. Falso videlicet id statuitur. Nam qui docente CHRISTO peccabant in Spiritum sanctum, manifesti erant. Nec, qui Ioanne apostolicum munus administrante id peccati peccabant, erant obscuri, satis quippe in hac epistola indicati. Pro talibus proinde non erat orandum, cum, quia doctrina eorum erat sectaria, a qua non solet recedi, nulla spes relinqueretur, eos ad veritatis agnitionem peruenturos esse.

II.

(i) In Disp. supra laudatae §. 32. sqq.

B



## II.

## CAP. V. 6.

Οὗτός ἐστιν ὁ ἐλθὼν δι' ὕδατος καὶ αἵματος, Ἰησοῦς ὁ Χριστός· οὐκ ἐν τῷ ὕδατι μόνον, ἀλλ' ἐν τῷ ὕδατι καὶ τῷ αἵματι· καὶ τὸ πνεῦμά ἐστι τὸ μαρτυροῦν, ὅτι τὸ πνεῦμά ἐστιν ἡ ἀλήθεια.

Non possumus hunc locum non habere pro perobscuro, cum & oculatissimi Theologi hic non videant vnum idemque, sed diuersissimas interpretationes (a) proferant propugnentque. Omnium primus audiatur, qui omnium vetustissimus nobis occurrit huius loci interpres, Tertullianus. Hic in libri *de baptismo* capite XVI. his verbis suam explicat sententiam: *Venerat Dominus per aquam & sanguinem, ut aqua tingeretur, sanguine glorificaretur, proinde nos faceret aqua vocatos, sanguine electos. Hos duos baptismos de vulnere perfossi lateris emisit, quatenus, qui in sanguinem eius crederent, aqua lauarentur; qui aqua lauissent, etiam sanguinem potarent.* Censet igitur, Ioannem de duobus baptismis loqui, baptismo videlicet fluminis & baptismo sanguinis, seu de baptismo CHRISTI & Christianorum deque utrorumque cruento (b) martyrio. Non est, quod hanc piissimi viri sententiam (c) pluribus refellamus: cum satis appareat, huius interpretationis matrem non esse profundam meditationem exegeticam, sed arripuisse Tertullianum,

(a) Nouissima viri cuiusdam docti interpretatio huius loci, quae quidem subscriptores habitura non videtur, profertur in *Nouis literariis Gottingensibus* anni 1740. p. 687. & in *Lipsiensibus* anni 1741. p. 313.

(b) Priorius in *annot. ad h. l.* putat, loqui Tertullianum de baptismo & sacra coena. Melius vero vidit Rigaltius, non sacram coenam ab eo significari censens, sed martyrium.

(c) Mirum, foueri hanc sententiam etiam a Clerico in sua *Versione N. T. Gallica.*



lianum, quod primum in mentem venerat hunc locum consideranti.

Nec aliorum, quas proferemus, sententias longa prosecuturi sumus censura, credentes quippe, lectori cuius attento manifestam fore ipsarum imbecillitatem & ἀσά-  
Φειον. Vulgatissima videlicet est illa sententia, qua de duobus N. T. sacramentis, baptismo & sacra coena, hic loqui Ioannes creditur. Eorum, qui ita sentiunt, principes tantum aliquot viros nominare libet, eosque extra palae-  
stram exegeticam tum versatos, (id quod eos seueriori cen-  
surae subtrahit,) (d) Danhauerum, (e) Quenstedium, & qui nimis acriter pro hac sententia (f) pugnat, Werns-  
dorfium. Viderunt autem alii nostratum, longe a verosimi-  
litudine recedere hanc sententiam. Quare illud duntaxat largiti sunt, alludi his Ioannis verbis ad N. T. sacra-  
menta. Inter hos Spenerus est & Ven. Rasmeyerus. Ipse Calouius, *aquam* de baptismo capiens, *sanguinem* non de sola sacra coena interpretatur, sed primario de morte Christi cruenta. Ac Horneius quoque, *aquam* significare sacramentum baptismi, *sanguinem* passionem & mortem Christi, existimat. Qua in sententia Tirinus etiam est, Iac. Cappellus, Ven. Bengelius, & Cl. Schoetgenius. Cocceius per *aquam* intelligi (g) vult *id, quod in se purum est & purificandi vim habet*, atque haec verba apostoli: *Non in aqua tantum, sed in aqua & sanguine*, sic interpretatur: *Non*

B 2

tantum

(d) In *Hodosophia Christiana* p. 714. & 744. edit. 1649.

(e) *System. Theol.* P. III. p. 268. & P. IV. p. 86.

(f) In *Disp. a. 1722.* edita de *dissensu Lutheranorum & Reformatorum in articulo de sacra coena* p. 74. *sqq.* ubi & alios huius interpretationis patronos laudat.

(g) Hanc interpretationem nuper Theologus quidam nostras ἀνώρυμος suam fecit in dem *Ober-Lausnitzischen Beitrage zur Gelehrtheit* T. I. p. 145. *sqq.* Est haec & Grotii sententia.



tantum in sanctitate perfecta, sed etiam in pretio perfecto, quo liberemur a reatu, & purificemur a peccatis. Nam ad typum sanctitatis exhibendum poterat DEVS quemuis hominem condere; sed ad ecclesiam sanguine suo redimendam non poterat mitti, nisi Filius DEI. Mutata paulisper applicatione Hemmingius (b) iudicat, per aquam non significari baptismum Christianorum, sed eorum sanctificationem internam, allusione facta ad purificationes Mosaicas per aquae adspersionem; per sanguinem symbolice significari expiationem peccati & imputationem iustitiae Christi. A qua sententia non longe recedit illa (i) Speneri, cum in V. T. peccatoribus opus fuerit duabus rebus, ut scilicet & aqua lauarentur & sanguine sacrificii reconciliarentur, Ioannem baptistam tantum per aquam venisse, cum baptizaret poenitentes, CHRISTVM autem etiam venisse per sanguinem, factum pro nobis in cruce sacrificium. Ven. Rusemeyerus Vatabli, Hammond, & Zeltneri ingressus sententiam, respici a Ioanne putat descriptum ab ipso in *Historia CHRISTI* (k) fluxum sanguinis & aquae e IESV modo mortui latere. Simul tamen eo spectare credit apostolum, quod CHRISTVS pro nobis cruenta sit factus victima. Denique nec excludi vult duo N. T. sacramenta.

Vidimus adhuc plures sententias instabilibus coniecturis (l) maiori iure adscribendas socias, quam interpretationibus certae veritatis & clara luce radiantibus. Proferri vero nobis videtur posse certior interpretatio, si, quae

(b) *Comment. in N. T. Epistolas p. 791.*

(i) *Comment. in hanc Epistolam. Eandem sententiam illustrat Ven. Wollius in libro de parenthesi sacra p. 103. sqq.*

(k) *Cap. XIX. 34.*

(l) Plures cognoscere qui gestit, ad Cornelium a Lapide adeat, qui ad h. l. plurimas exhibens interpretum dissensiones lectorem animi incertum dimittit incertiore.



quae paulo post in Ioannis epistola sequuntur, intueamur (m) considerantius: id quod nemo fecit eorum, quos modo nominauimus, interpretum.

Scilicet quid hic loci sibi velit Ioannes, nono docet versu decimoque. Cum enim essent, qui, IESVM pro propheta quidem, sed non item pro Messia DEIque filio habendum esse, docerent, (quos hanc epistolam scribendi occasionem praebuisse apostolo, constat,) horum errorem Ioannes hic loci coarguit nulli exceptioni obnoxio testimonio, eoque triplici, ipsius DEI. *Hominum spectatae fidei, inquit, testimonia non reiicimus: quanto maior fides habenda ipsius DEI testimonio, quo docuit, IESVM esse filium suum! Certe qui DEO fidem non habet, accusat eum (proh nefas!) mendacii, non habens videlicet fidem illi testimonio, quod DEVS de filio suo ipsemet edidit.* Vides nunc, lector, versu sexto exhiberi testimonia DEI, quibus apertissime testatus est, IESVM esse filium suum promissumque priscae ecclesiae Messiam.

Discernit autem Ioannes haec DEI testimonia pro diuersitate temporis, priora duo scribens edita esse eo tempore, quo CHRISTVS fuit in hoc mundo, tertium dicens edi adhuc illo tempore, quo hoc scribebat. De prioribus

B 3

ribus

(m) Frequentior causa tot infelicium interpretationum est interpretum festinatio. Fatetur hoc peccatum ingenue Dan. Heinsius in suis *ad N. T. Exercitationibus*. Statim primo earum capiti hunc titulum praescripsit: *Primum Matthaei caput obiter percurritur*. Ac pluribus in titulis suarum annotationum hoc *percurrendi* verbo usus est, e. g. p. 39. 54. 62. 70. 76. 89. 101. 105. 120. &c. Exegetae scilicet oculus minime debet esse cursorius, sed defixissimus, & ad inspiciendum ac circumspiciendum indefatigabilis. Cum prima hora non succedit interpretatio, alio tempore noua hora est impendenda. Si nec tum certam peruenimus ad interpretationem, aliud otium huic exegetico labori dicandum. Tandem vincet labor, si non semper, certe per saepe.



ribus enim vsurpat praeteritum (n) ἐλθὼν, de tertio praesens ἐστίν.

Accedamus nunc ad tria illa, quae a Patre de Filio edita esse Ioannes ait, testimonia. Οὗτός ἐστιν, inquit, ὁ ἐλθὼν δι' ὕδατος vel ἐν τῷ ὕδατι. Quae verba, indicante versu nono, non possunt alium, quam hunc, habere sensum: *Hic est, qui esse ὁ ἐρχόμενος (o) demonstratus est per aquam ipsius DEI testimonio.* Nec articulus nihil nos docet, cum dicitur ἐν τῷ ὕδατι. Clare enim significat, de certa aqua hunc esse sermonem. Iam ad nullam aquam DEVS de filio suo edidit testimonium praeter illam, qua baptizatus est a suo prodromo. Tum enim haec vox (p) e caelo resonabat: Οὗτός ἐστιν ὁ υἱὸς μου ὁ ἀγαπητός, ἐν ᾧ εὐδόκησα. Habemus nunc primum DEI testimonium, quo indicabatur hominibus, venisse nunc in mundum, qui tam dudum promissus fuerat, Messiam.

Alterum testimonium DEVS edidit δι' αἵματος, hoc est, vti ipse interpretatur Ioannes, ἐν τῷ αἵματι. Nec hic articulus τῷ caret emphasi. Innuitur enim *sanguis ille (q) omni pretio maior, quem victima piacularis (r) pro humano genere factus DEI filius profudit; sanctissimus ille sanguis, quem DEI sanguinem appellat (s) Paulus; sanguis ille,*  
ob

(n) Etiam Ven. Bengelius in *Gnomone* suo *N. T.* p. 1062. observavit, hoc verbum ἐλθὼν respectum significare ad praeteritum tempus. Apparet hinc liquido, errare eos, qui hunc locum de utroque *N. T.* sacramento, quorum vsus hodieque praesens est, interpretantur, cum de eo loquatur apostolus, quod est praeteritum.

(o) Hoc est, Messias. *Matth.* XI. 17. & *Ioan.* XI. 27. Consuetam hanc Messiae appellationem Iudaicam a Ioanne respici, etiam Ven. Wollius animaduertit in libro *de parenthesi sacra* p. 103.

(p) *Matth.* III. 17.

(q) *I. Petri* I. 19.

(r) *Ecce agnus DEI, qui tollit peccata mundi!* *Ioan.* I. 29. & 36.

(s) *Act.* XX. 28.



ob quem ab vtriusque Testamenti (t) prophetis CHRISTVS vocatur *heros cruenta veste indutus*. Testimonium hoc de IESV, quod fit DEI filius, aliquid singulare & plus admirabilitatis habere, significat noster apostolus, dum mentioni huius sanguinis haec verba subiicit: *non in aqua solum, sed in aqua & sanguine*. Videbatur scilicet supplicium & mors IESV luculentissime demonstrare, eum non esse DEI filium, non esse Messiam, sed pseudomessiam & (u) πλάσιον. At vix extincto eo miraculis insignibus tam manifestum faciebat tamque perspicue testabatur DEVS, suum hunc esse filium, vt etiam ethnicus quidam spectator in hanc vocem (x) erumperet: *Profecto DEI filius erat hic*. Quae inter miracula hoc erat supremum atque eminentissimum, quod necatus in cruce homo hic paulo post resurrexit, & in magnae multitudinis conspectu in coelum ascendit, eodem tempore descendentes de coelo duobus angelis, ac docentibus, rediturum aliquando e coelo esse hunc IESVM, & iudicium exerciturum in vniuersos homines. Quam, quaeso, clarum hoc erat & illustre DEI de filio suo ἐν τῷ αἵματι (hoc est, eo tempore, quo sanguinem effudit suum vitaeque priuatus est,) testimonium!

Progredimur ad tertium DEI de IESV testimonium, quo testatus est, eum esse filium suum & praedictum illum a prophetis Messiam. *Etiam (y) Spiritus sanctus*, inquit Ioannes, *id nunc adhuc testatur*. *Iam vero (z) Spiritus sanctus est ita verax, vt vere dicatur ipsa veritas*. Tò etiam tertium hoc testimonium prioribus adiungit ἐμφατικῶς. Hoc enim sibi hoc

(t) Iesaja scilicet cap. LXIII. 1, 2. & Ioanne [nostro Apoc. XIX. 13.

(u) Ita Iudaeorum proceres eum appellabant Matth. XXVII. 63.

(x) Matth. XXVII. 54.

(y) Merito hic ἔτι reddimus etiam. Ac hoc modo verba haec cum prioribus iunguntur commodius.

(z) Hic loci ὅτι significat, sequi nunc causam, cur Spiritus S. sit habendus testis fide dignissimus. *Etiam Spiritus*, inquit, *huius rei testis est*. *At quantus est hic testis! Est enim ipsa veritas*.



hoc verbulo vult Ioannes: Protuli duo DEI de filio suo testimonia, tum edita, cum adhuc in mundo versaretur IESVS. Ad iicio nunc tertium, quod sublato eo in coelum DEVS edidit per Spiritum suum, & ne nunc quidem edere cessat. Tam facile apparet, Ioannem de Spiritu S. loqui in apostolos effuso perque eos patranti miracula, vt interpretum pars maior ita (a) sentiat. Quam certum vero est hoc testimonium, cum solus miraculorum auctor sit DEVS, adeoque miracula, ab iis, qui docent, IESVM esse filium DEI, edita, realis vox DEI sint, clarissime loquentis, doctrinam eorum hanc esse verissimam!

Nunc igitur tandem in promptu est huius loci paraphrasis, quae ita fluit: *Hic est ille, qui tanquam promissus Messias venit in mundum, seque esse τὸν ἐρχόμενον, demonstravit per aquam & per sanguinem. Ac sufficere poterat DEI de eo testimonium in baptismo eius de coelo clara voce editum, vt homines agnoscere possent, ipsum esse Messiam. At etiam tum DEVS id demonstravit lucide, cum IESVS penderet in infami cruce, & sanguinem suum pro salute mundi effunderet. Tum enim, eum non esse pseudomessiam, quo nomine crucifixerant eum Iudaei, sed verum Messiam & filium DEI, manifestum DEVS fecit iis editis miraculis, ad quae etiam ethnici quidam vir obstupescens ita exclamabat: Profecto hic fuit is, qui haberi voluit, hoc est, filius DEI. Accessit vero miraculum hoc maximum, quod crucifixus hic homo resurrexit & in coelum ascendit. Accedit duabus his, quod IESVS sit Messias, ipsius DEI demonstrationibus tertia. Testatus enim id etiam DEVS est & adhuc testatur Spiritum suum in CHRISTI apostolos tanta mensura effundens, vt similia magistri sui miraculis large patravint atque adhuc patrent miracula. Spiritus autem DEI miraculis se manifestans ipsissima est veritas, cum non possint, nisi a DEI Spiritu, vera patraviri miracula: vt adeo, qui miracula videt, videat opera Spiritus DEI,*

(a) Etiam nouissimus in hanc Ioannis epistolam commentator, Ven. Rusemeyerus, agnoscit, hunc omnino esse horum verborum sensum.



DEI, certoque (si sana est mente,) cognoscat, doctrinam illam religiosam, quae ab istis miraculorum editoribus traditur, esse religionem diuinam, solamque veram.

Duo supersunt ad hunc locum obseruanda. Primum praeuidemus, fore, qui dicant, nos in satis apertum protulisse, quo sensu CHRISTVS dicatur *venisse in aqua*, itemque quo sensu *Spiritus de eo testis esse* dicatur; at infirmiore minusque lucidam videri nostram interpretationem *sanguinis*. Respondemus igitur, omnino difficillimum intellectu futurum fuisse, quid sibi hic velit mentio *sanguinis*, si fuisset exhibita sola. Verum id, quod praecedit, idque, quod sequitur, (cuius vtriusque sensum, reflexo ad nonum decimumque versum oculo, facile assequimur,) lucem affert ei, quod inter haec duo interiectum est: vt adeo optimus loci illius de *sanguine* interpretes sit Ioannes ipsemet.

Deinde mirabitur fortasse quispiam, non item productum fuisse ab apostolo nostro illud testimonium, quod in monte DEVS edidit colloquentibus cum CHRISTO Mose & Elia, quodque & Petrus ἀντήκοος in altera suarum epistolarum (b) commemoravit. Verum idem acquiescendum sibi putabit, vbi hanc nostram responsionem acceperit. Ioannes scilicet ea hic proferre constituit DEI de filio suo testimonia, quae edita erant ad magnam hominum multitudinem, nec ad solos apostolos caeterosque CHRISTI discipulos, sed ad Iudaeos etiam ἀπίστους, nempe vt illi in fide sua confirmarentur, hi ad agnoscendum DEI filium permouerentur. Iam vero illud in monte editum (c) testimonium non erat in publico editum, vti caetera tria, quae Ioannes profert, sed intra priuatos, vt sic loquamur,

parie-

(b) Cap. I. 17.

(c) Matth. XVII. 5.

(d) Matth. XVII. 9. Lucae IX. 36.



parietes, tribus tantum discipulis audientibus, quibus praeterea CHRISTVS ad certum tempus imperavit (d) silentium.

## III.

## CAP. V. 21.

Τεκνία, φυλάξατε ἑαυτὲς ἀπὸ τῶν εἰδώλων.

Vix quisquam hunc versum legerit, quin miretur, eo finiri hanc epistolam. Non enim quadrat, vt ita loquamur, ad ea, quae praecedunt. Nec videtur praeterea metuendum fuisse, ne quis eorum, ad quos scribit apostolus, reuertetur in ethnicorum castra. Scribit namque, id quod e *cap. II. 13. 14. 20. & 27.* satis apparet, ad Christianos nominis verissimi fideique firmæ & inuictæ. Quare non possumus assentiri (a) Heideggero, qui, cauenda esse idola, ideo moneri putat a Ioanne Christianos illos, quod antea *v. 20.* scripserit, eos ad cognitionem veri DEI peruenisse. Accedit, quod istic non de DEO Patre loquitur, (quod quidem Sociniani volunt,) sed de CHRISTO. Magis mirâ est Erasmi paraphrasis, hisce verbis profluens: *Filioli, si vere nouistis verum Deum, caute a falsis Diis & simulacris inanibus, quae colit mundus. Idololum colit, cui nummus Deus est. Idololum colit, cui Deus venter est. Idololum colit, qui ob mundanos honores Dei praecepta negligit. Multa sunt huiusmodi simulacrorum genera. Vos ab omnibus caute, si manere vultis in cultu veri Dei.* Videbatur scilicet Erasmo repetere Ioannes hic breuiter admonitionem supra *cap. II. 16.* exhibitam. Verum plane fortuita est haec viri optimi coniectura, non adstricta iustis regulis interpretatio.

Nos

(a) *Enchir. Bibl. lib. III. cap. 25. §. 7. p. 633.* Ei subscribit Salomo Tilius in *Opere analytico*, in quo Heideggerianum *Enchiridion* illustrat, *T. II. p. 728.*



Nos quidem non poenitet illius interpretationis, quam protulimus iam olim in *Parergis* (b) *criticis*, quamque postea suam fecit sub *Theophili Alethaei* nomine latens Laurentius (c) Mullerus, itemque Wolfius. Scilicet inualuerat nonnullis in ecclesiis mos frequentandi conuiuia ethnicorum sacra, adeoque idololatræ. De Pergamena ecclesia deque Thyatirana testem habemus ipsum Ioannem nostrum *Apoc. II. 14. & 20.* Ephesia autem ecclesia, ad quam scriptam fuisse credimus hanc epistolam, adhuc intacta erat ab hoc peccato: cuius rei testis & ipsemet est apostolus noster *Apoc. II. 6.* Huius igitur ecclesiae Christianos hic adhortatur, ut etiam posthac ab isto peccato sibi caueant. *Ἐἰδωλα* autem *ἐμφατικῶς* dicit pro *εἰδωλόθυτα*, ut periculum huius facti repraesentet viuidius. Ad *idolothyta*, inquit, qui accedunt, ad ipsa accedunt *idola*, cultusque falsorum Numinum se reddunt quodammodo participes. Eadem sermonis emphasi Paulus utitur, cum *1. Cor. X. 14. 19. 20. 21. 28.* vetans Corinthios interesse religiosis ethnicorum epulis, *φύγετε*, inquit *v. 14. ἀπὸ τῆς εἰδωλολατρίας.* Quem cum de idolothytis loqui manifestum sit, merito eum adsciscimus Ioanneae dictionis interpretem. Ac sane occasione talium conuiuiorum poterant Christiani reuocari ad mores ethnicos: quo facto non solum doctrina Christiana futura erat inutilis, (bene enim qui credit, & male viuit, non est magis in filiorum DEI heredumque vitæ æternæ numero, quam homo ethnicissimus,) sed etiam via ad reditum in ethnica castra satis aperiebatur.

Restat, ut, quomodo haec admonitio cum praecedentibus cohaereat, vel potius, cur non cohaereat, dispiciamus. Noua scilicet allocutio, *Τεκνία*, nouae index est admonitionis & cum iis, quae praecedunt, non connexae.

C 2

Appa-

(b) P. 190.

(c) In der Erläuterung der dunkelsten Verter der 2. Schrift T. I. p. 694. sq.



Apparet nunc statim, *Postscriptum* (*d*) hoc esse huius epistolae: quod ideo breue est, quia saepius eos Ioannes huius rei admonuerat, sibi que semper dicto audientes habuerat: id quod supra ex *Apoc. II. 6.* cognouimus. Quare tribus duntaxat verbis id eis in memoriam reuocat, ne posthac, id ut faciant, se adduci vnquam patiantur. *Nota* igitur admonitione opus erat, quia res haec erat momenti maximi. *Breuis* autem sufficebat admonitio, quia Ephesiorum Christianorum nemo adhuc id peccauerat. Iam non dubitamus ita παραφράζειν haec Ioannis verba: *Pergite, quaeso, carissimi mei in CHRISTO filii, fugere idololatricas epulas, & exemplum boni moris praebere caeteris ecclesiis.*

## IV.

## CAP. I. 1. 2. 3.

Ὁ ἦν ἀπ' ἀρχῆς, ὃ ἀκηκόαμεν, ὃ ἐώρακάμεν τοῖς ὀφθαλμοῖς ἡμῶν, ὃ ἐθεασάμεθα, καὶ αἱ χεῖρες ἡμῶν ἐψηλάφησαν, περὶ τῆς λόγου τῆς ζωῆς. 2. Καὶ ἡ ζωὴ ἐφανερώθη, καὶ ἐώρακάμεν, καὶ μαρτυρήσαμεν, καὶ ἀπαγγέλλομεν ὑμῖν τὴν ζωὴν τὴν αἰώνιον, ἣτις ἦν πρὸς τὸν πατέρα, καὶ ἐφανερώθη ἡμῖν. 3. Ὁ ἐώρακάμεν καὶ ἀκηκόαμεν, ἀπαγγέλλομεν ὑμῖν, ἵνα καὶ ὑμεῖς κοινωνίαν ἔχητε μεθ' ἡμῶν. — καὶ ἡ κοινωνία δὲ ἡ ἡμετέρα μετὰ τῷ πατρὶ καὶ μετὰ τῷ υἱῷ αὐτῷ Ἰησοῦ Χριστῷ.

Haecenus in eo fuimus, ut tria postremi capituli loca, quae prae caeteris interpretum exercuerunt ingenia, iusta ratio-

(*d*) Id iam obseruauit Ven. Rasmus, ita scribens: Diesen Vers hat man anzusehen als einen Anhang dieser Epistel. Cum vero idem τεχνία huius loci interpretatur *infantes in Christianismo*, hoc est, Christianos νεοφύτους & adhuc fidei infirmioris, summo iure ab eo dissentimus. Nihil enim causae suppetit, cur hanc appellationem alio hic sensu capiamus, quam capi eam voluit apostolus noster *cap. II. 1. 12. 28. & III. 7. 18. & IV. 4:* quibus singulis locis Christianos affatur in vniuersum, quos *cap. II. 7. & III. 13. ἀδελφὸς* appellat.



ratione interpretaremur, suumque Ioanni vindicaremus sensum. Nunc e prioribus quatuor capitibus totidem seligemus loca disceptationis aliquid habentia: quae ut itidem ex vero interpretemur, adsit nobis coelestis gratia!

Accedimus igitur ad huius *Epistolae* initium modo exhibitum, grammaticum lectoribus eius euulsuri scrupulum. Grammatico scilicet hunc locum intuentibus oculo perobscura minimeque concinna videbitur horum verborum constructio. Nec dubitabat (a) Zegerus *structuram horum verborum* vocare non parum horridam. Ac Erasmus quoque, valde laborans, ut verba haec redigeret sub grammaticorum regulas, ne ipsi quidem sibi satisfaciebat. Potest tamen durities dictionis Ioanneae emolliri, si primum *versui primo* id ἀπαγγέλλομεν, quod in v. 2. & 3. reperimus, tacite (b) adiungas; deinde a verbo περι vsque ad ἐφανερῶς ἡμῖν parenthesin (c) agnoscas; tum ante περι τῶ λόγῳ comma pōnas, ac deinde loquor (d) subaudias; denique v. 3. post ἀκηκόομεν adiicias (e) *inquam*, tanquam indicem subauditi in *versu primo* verbi ἀπαγγέλλομεν. Quod si quis ne nunc quidem acquiescat, sed, hanc ipsam loquendi formam esse

C 3

inusi-

- (a) Theologus Louaniensis, cuius *Annotationes ad N. T.* inseruerunt *Criticis suis sacris* Angli. De ipso pluribus disserit Rich. Simonius in *Censura (Critique) Bibliothecae ecclesiasticae Dupinii T. II. p. 99.*
- (b) Hoc faciendum putant Calouius, Iac. Cappellus, Langius, Infantius, Wolfius, Rasmeyerus: Clericus item in Gallica sua N. T. versione.
- (c) Iam dudum agnita hic fuit parenthesin: sed initium eius demum a verbis καὶ ἡ ζωὴ factum est.
- (d) Ita fecit Glassius *Philol. sacra. lib. III. tract. I. can. 21. p. 607.* itemque Rasmeyerus p. 35.
- (e) Haec est Vatabli sententia, Camerarii, Er. Schmidii, Piscatoris, Bezae, Hammondii, Iac. Cappelli, Calouii, Langii, Infantii, Clerici, Rasmeyeri, Schoetgenii, Harduini. Obseruamus denique, hoc ipso nostro in capite etiam *versui decimo* non posse non inferi hoc *inquam.*



inufitatam caliginisque plenam, contendat, hunc in modum respondemus respondendumque censemus. Ioannes in hoc exordio torus pio affectu ardens ( id quod, qui iterum tertioque, imo decies deciesque, hunc locum pie contemplatus fuerit, facile assentiet, ) magis res, quam verba, loquitur, minusque adeo eius verba sunt exigenda ad normam grammaticam. Etsi autem a grammatica loquendi consuetudine paulisper videtur recedere, facile tamen, quid sibi velit, si ad res magis, quam ad verba, attendimus, intelligemus. Id quo clarius appareat, en nostram huius loci paraphrasin :

*Quod (f) existebat ab initio, hoc est, ab aeterno, quodque tandem factum est hominibus conspicuum, & a nobis ( me scilicet reliquisque apostolis ) auditum nostrisque oculis est conspectum, attente quoque consideratum ac manibus contrectatum, ( loquor de verbo illo viuo & substantiali, quod est ipsa vita: nam (g) vita haec venit in orbem visibilis, nosque eam vidimus, adeoque idonei testes sumus: & vobis nunc annuntiamus vitam hanc substantialem ab aeterno existentem, quae, cum ab aeterno fuisset apud Patrem, nouissimo tempore nobis se praebuit conspiciendam: ) quod, inquam, vidimus, & audiuiimus, quodque ex ipso illo verbo aeterno auribus accepimus, id vobis notum facimus, atque id vos tum voce viua, tum etiam scriptis, edocemus, vt & vos communionem habeatis nobiscum, communionem scilicet illam, quam nos apostoli habemus cum Patre & cum filio eius IESV CHRISTO.*

V.

(f) Ο ἦν ἀπ' ἀρχῆς est idem ὁ λόγος, qui erat ἐν ἀρχῇ, Ioan. I. 1. Caue offendat te, quod Socinianos offendit, neutrum ὁ. Nam & infra cap. V. 4. τὸ γεγεννημένον ἐκ τοῦ Θεοῦ est homo ex Deo natus: & Ioan. III. 6. τὸ γεγεννημένον ἐκ τῆς σαρκὸς est homo carnalis. Plura huius generis loca si quaeris, inspice Glasii *Philologiam sacram lib. III. tract. I. can. 21. p. 605. sq.*

(g) Recte καὶ hoc reddit Beza *nam*, obseruans, Hebraeorum hunc morem esse, vt saepe ἰ vsurpetur pro ἰ. Assentiuntur ei Vatablus, Horneius, Schoetgenius.



V.

CAP. II. 16.

Ὅτι πᾶν τὸ ἐν τῷ κόσμῳ, ἢ ἐπιθυμία τῆς σαρκὸς, καὶ ἡ ἐπιθυμία τῶν ὀφθαλμῶν, καὶ ἡ ἀλαζονεία τῆ βίᾳ, ἕκ ἑσιν ἕκ τῆ πατρὸς, ἀλλ' ἕκ τῆ κόσμῳ ἐσί.

Rectissime hunc locum Grotius interpretatur in *Iure* (a) suo *belli & pacis*, ita scribens: *Primum membrum voluptatum desideria, secundum habendi cupiditatem, tertium vanae gloriae consecrationem complectitur.* Est haec quam vsitata & plerorumque interpretum communis, tam certa atque erudita interpretatio, maxime quod ad *oculorum cupiditatem* attinet. Hac enim appellatione *auaritiam* signabant Hebraei, quorum stylo quis miretur vti apostolum nostrum? Imperitiam igitur suam Hebraei sermonis Augustinus (b) prodidit, *concupiscentia oculorum* significari ratus *nugacitatem spectaculorum*. Quam a vero sensu aberrationem cum & in aliis nonnullis deprehenderimus, libet *Φράσιν* illam Hebraeam reddere confirmationem, praesertim cum Wolfius in *Curis* suis huius rei curam non habuerit.

Iam cum e prouerbiis cuiusque nationis potissimum peti singulares eius loquendi formulae soleant, in manum sumemus veterem *librum selectarum margaritarum*, ספר מבחר (c) הפנינין, quem Latinum conuertit in sermonem & *Apothegmata Ebraeorum* inscriptum a. 1591. edidit Ianus Drusius. Hic in libro tertio (d) n. 251. haec reperitur gnome: *Nemo est pauperior eo, qui non contentus sorte sua oculum habet insatiabilem, hoc est, homine auaro.* Et primo in libro (e) ista occurrit: *Cui haec tria adsunt, oculus bonus, spiritus contritus, & animus deie-*  
ctus,

(a) *Lib. II. cap. 20. §. 29. n. 3.*

(b) *Lib. III. de symbolo cap. I.*

(c) Huius libri nulla mentio in *Wolfii Bibliotheca Hebraea.*

(d) *Pag. 398. editionis Fabricianae, quae a. 1714. prodiit.*

(e) *Pag. 332. n. 12.*



*Stus, is est discipulus Abrahami. Contra cui adsunt oculus malus, spiritus elatus, & animus amplus, is est discipulus impii Balaami. Ad quem locum obseruat Drusius, ex Maimonidae sententia oculum malum hic esse sollicitudinem circa diuitias: ac ipsemet ita iudicat: Oculum bonum habere dicitur, qui contentus est sorte sua, quam αὐτάρκειαν Graeci vocant. Huic opponitur oculus malus, id est, auaritia vel inuidia. Indicari vero auaritiam, satis manifestum facit Balaami mentio. Vid. 2 Petri II. 15. & Iudae Epist. v. 11.*

Ingrediamur vero nunc ipsum sacrum codicem, vbi gnomas reperiemus prioribus simillimas. En Salomonis illam *Prov. XXVII. 20: Oculi hominis non saturantur, hoc est, auaritia nunquam satis habet, sed quo plus sunt potae, plus sitiuntur aquae. Hoc sibi velle Salomonem, alibi ipse docet clarissime, ita scribens *Cobel. IV. 8: Oculi hominis non satiantur diuitiis. Eodem modo, cum *cap. V. 9. dixisset, auarum non satiari argento, ita v. 10. describit eius miseriam: Quid commodi ei inde, praeter adsp̄ctum oculorum? Vbi Geierus haec adscripsit: Oculos pascit, quando tot nummorum aurcorum argenteorumque cumulos, tot cistas, tot aceruos frumenti, tot agros, domos, hortos intuetur. Adde tot seruos, tantam armentorum pecorumque multitudinem. Mille (f) greges illi, totidemque armenta per herbas errant. En denique & Siracidae gnomen *cap. XIV. 9: Πλεονέκτῃς ὀφθαλμὸς οὐκ ἐμπίπλεται μερίδι vel, vt est nonnullis in editionibus, μερίδος, auari oculus non expletur parte, id est, portione sua. Nec vero historicos Hebraeos ab hoc loquendi modo abhorreere, illud docet, quod 1. Regum XX. 6. legimus: Hostis tibi eripiet omne concupiscibile oculorum tuorum, hoc est, vt Flacius in *Clauē (g) interpretatur, quicquid habes pretiosum & tibi valde carum. Pertinet huc & illa Satanae ars, qui, cum (h) experiri vellet, an IESVS, quem & volupta-*****

(f) Ouidius *Metamorph. IV. 635.*

(g) P. I. p. 788.

(h) *Matth. IV. 8.*



luptate & ambitione superiorem esse iam cognouerat, *auaritia* fit succubiturus, *oculis* eius omnes mundi opes subiiciebat.

Nunc igitur satis cognoscimus, apud Ioannem nostrum τὴν ἐπιθυμίαν τῶν ὀφθαλμῶν non aliud esse, quam *auaritiam*, quae bona consecretatur *uisibilia*, cum sit sapientis, animum conuertere ad venturae vitae bona, quae sunt adhuc *inuisibilia*. Ac sequitur hic Ioannes magistrum suum, CHRISTVM, *Marci IV. 9.* docentem, tria esse, quae, quominus homines fiant regni DEI ciues, impediunt, primo *curam splendoris mundani*, deinde *diuitiarum studium*, denique *voluptates*. Illud vero etiam firmat nostram interpretationem, quod Ioannes nominare hic se ait πᾶν τὸ ἐν τῷ κόσμῳ, non autem nominasset πᾶν, si mentionem omisisset *auaritia*, *radicis* illius, vti Paulus (*i*) loquitur, *malorum omnium*. Ex quo apparet, istam Ioannis φράσιν de *auaritia* nobis interpretandam fuisse, si vel nesciremus, Hebraeam esse eam loquendi rationem. Quare & Patribus ecclesiae (*k*) veteribus hunc sensum assequi facile fuit, aliisque posterioris aevi interpretibus.

Augustini vero interpretationem supra allatam refelli necesse nunc non est, nec aliorum, qui nuper (*l*) existimauerunt, *spectaculorum* (*m*) *delicias* ab apostolo nostro significari.

(*i*) I. Tim. VI. 10.

(*k*) Cyrilli Alexandrini ac Theophylacti loca profert Suicerus in *Thef. eccl.* T. 1. p. 1166.

(*l*) Etiam Erasmus in sua *Paraphrasi* putat, innui ab Ioanne *varia spectaculorum genera*: & in *annotatione* ad h. l. sua *ostentationem imaginum & nobilitatis* adiungit.

(*m*) Hanc opinionem nuper Theologus quidam ἐνώνυμος refutauit in den früh aufgelesenen Früchten anni 1740. p. 124. id potissimum  
D vrgens,



ficari. Posse eas hac appellatione signari, facile largimur, Verum inquirendum primum erat, quae vis & notio huius appellationis fuerit Ioannis aeuo, ita loquentis, vti loqui moris tum erat populo Iudaico: deinde cauendum, ne ταυτολογία tribueretur apostolo, iam complexo spectaculorum voluptates sub *cupiditate carnis*. Nec a Guffetio non possumus dissentire, qui (n) a Ioanne respici arbitratur matrem nostram communem, auide spectantem pulchritudinem fructuum arboris vetitae. Ac sane *Gen. III. 6.* vocatur haec *oculorum concupiscentia*. Addimus, *Ezech. XXIV. 16.* caram uxorem nominari *desiderium oculorum*. Sed nihil haec ad hunc rhombum. Clare enim discernit Ioannes *cupiditatem oculorum* a *cupiditate carnis*, hoc est, voluptatum amore & studio.

## VI.

## CAP. III. 20.

Ὅτι, εἰάν καταγινώσκη ἡμῶν ἡ καρδία, ὅτι μείζων ὁ Θεὸς τῆς καρδίας ἡμῶν, καὶ γινώσκει πάντα.

Primam hic difficultatem parit repetitum ὅτι, quod non ferendum rati quidam vel delendum censuerunt vel in εἶνι mutandum. Prius Grotio & Pricaeo placuit, idque eo magis, quod id verbuli neque Vulgata versio habet nec vetustissimus MS. codex Britannicus: cui alium deinceps adiunxit

urgens, quod hac e sententia sequatur, non pertinere monitum Ioannis nisi ad clarissimarum urbium incolas. Ipse vero non affert sententiam magis probabilem, censens, *cupiditatem oculorum* hic esse vitia puerilis aetatis, *cupiditatem carnis* vitia iuuenum, *superbiam vitae* vitia virorum senumque.

(n) In vltima pagina *Emendationum*, suis *Commentariis de lingua Hebraea* affixarum.



iunxit Millius. Nec posterius displicebat Pricaeo, ante quem iam Henr. Stephanus legendum esse coniecerat ἑτι. Atque huic sententiae fauebat etiam Erasmus Schmidius, & nuper Io. Alberti, Theologus nunc Leidenfis, in *Periculo suo (a) critico*. Verum vanas esse hasce coniecturas, probe docuerunt alii. Scilicet prius ὅτι (quod hoc loco nam significat, vti *cap. II. 16. & III. 9. & V. 6.* itemque *1. Cor. XIV. 37.*) a Ioanne repeti, adeoque adiiciendum ab interprete esse *inquam*, obseruarunt acute Beza, Cocceius, Calouius, Ven. Langius, Rasmeyerus, & Bengelius, itemque Antonius (b) Blackwallus. Ac egregias his fert suppetias Thomas Wopkenius, nec praestantissimos Romani styli artifices ab hoc pleonasmō abhorruisse, pluribus (c) docens exemplis.

Nunc ad ipsum textum accedimus, quem ita reddidit vetus ille Latinus interpres: *Quoniam, si reprehenderit* (rectius Lutherus *condemnat*,) *nos cor nostrum, maior est DEVS corde nostro, & nouit omnia*. Recentiores quidam locum hunc ceperunt de statu tentationis piarum mentium, Seb. Schmidius, Spenerus, Ven. Langius, Zeltnerus, Wolfius, Bengelius. Obscurius hanc sententiam exhibet Ven. Rasmeyerus, istam proferens paraphrasin: Wenn uns das Herz verdammet, so

D 2

be

(a) *Cap. X. p. 35.*

(b) In *Criticae N. T. Tomi prioris P. II. cap. II. p. 118.*

(c) In editis a. 1730. *Lectonibus Tullianis*. vbi *lib. I. cap. 6. p. 30.* hunc locum Ciceronis profert: *VT, si qui tremere & exalbescerent, nihil VT esset, caetera; & hunc eiusdem: Quid est, CVR, cum domus sit omnium, una, CVR ii, quid ex quoque eueniat, perspicere non possint; & hunc Liuii: VT, quoniam --- deduci non potuisset, VT M. Liuium, caetera; & hunc Gellii: VT, quisquis habere eum possideretque, VT is cum omni domo deperiret; & hunc: Flori SI, quod Poenum illum dixisse ferunt, Annibal SI, quemadmodum scire vincere, sic uti victoria scisset.*



beziehet sich der Glaube auf Gott, und, weil derselbe grösser ist, als unser Herz, und alle Dinge erkennet, so stellet er demselben das Gericht und die genauere Untersuchung anheim. Nobis vero antiquiorum huius loci interpretum placet opinio, Augustini, Vatabli, Bezae, Clarii, Hemmingii, Hunnij, Calouii, (d) Glassii, Piscatoris, Tirini, Horneii, Cornelii a Lapide, Hammondi, & Erasmi Schmidii: qui postremus sensum Ioannis his verbis (e) exprimit: *Si condemnet nos cor nostrum seu propria mala conscientia, multo magis nos condemnabit DEVS, qui corde nostro maior est, & omnia novit, ideoque etiam corda nostra (f) rectius, quam nos ipsi, novit.*

Adhaerescunt hi verbis apostoli simplicissime: id quod nostra haec ostendet paraphrasis.

V. 19. *Ex eo cognoscimus, nos esse veros Christianos, si vere amamus fratres, amoremque hunc ostendimus beneficiis: ac tum tranquillam habemus conscientiam, atque adeo pleni fiduciae DEO nos sistimus.*

V. 20. *Contra, si fuerimus hypocritae, ac nostra ipsorum conscientia nos condemnet, sique ipsimet sciamus, carere nos sincero & in beneficia effuso amore fratrum, multo magis*  
**DEVS**

(d) *Philol. sacrae lib. V. tract. I. cap. 8. p. 1613.*

(e) *En similem & gemellam paraphrasin Harduini nuper editam: Quoniam, si reprehenderit nos cor nostrum, quod verbo tantum & lingua, non factis & re ipsa, diligamus fratres, longe DEVS cor nostrum superat, intimos illius omnes recessus magis acute penetrat, & novit multo melius, quam nos ipsi.*

(f) *Huc pertinet illud psalmi XC. 8: Posuisti iniquitates nostras coram te, absconditum nostrum ad luminare vultus tui, hoc est, vt bene Fesfelius Aduers. sacr. lib. VII. cap. 3. §. 7. interpretatur, DEVS omnia peccata nostra, etiam minutissima & reconditissima, absque ulla obvelatione palam cognoscit & accurate obseruat.*



*DEVS* nos condemnabit, quippe qui (g) omnia cognoscit intime, adeoque & animum nostrum penitus cognoscit, quam ipse se nouit animus noster.

V. 21. Quod si igitur, carissimi fratres, ita sumus affecti, ut nostra nos conscientia non accuset ac damnet, o nos beatos, qui nullo metu damnationis percussi summam habemus fiduciam (h) ad *DEVM* accedendi, cui nos tanquam obedientissimos filios scimus gratos esse & caros!

Simul elucet ex hac paraphrasi, non esse hic locum siue ellipsi siue aposiopesi, quae nonnullis in mentem venit. Horneius enim in *Expositione literali* huius *Epistolae* ita capienda censet haec verba Ioannis: Si nos condemnet proprium cor & conscientia, nihil relinquitur bonae spei apud *DEVM*, quia ille maior est corde nostro, & omnia nouit. Calouius autem hoc modo putat supplendum esse apostoli hunc locum: Si reprehendat nos cor nostrum, scire debemus, quod maior est *DEVS*, caetera.

VII.

CAP. IV. 20.

Ἐὰν τις εἴπῃ Ὅτι ἀγαπῶ τὸν Θεόν, καὶ τὸν ἀδελφόν αὐτῆ μισῆ, ψεύστης ἐστίν. Ὁ γὰρ μὴ ἀγαπῶν τὸν ἀδελφόν αὐτῆ, ὃν εἰώρακε, τὸν Θεόν, ὃν ἔχ εἰώρακε, πῶς δύναται ἀγαπᾶν;

Non est in his verbis obscuritas grammatica, sed logica. Verba omnia statim intelliguntur ab omnibus: at, cum hic

D 3

fyllo-

(g) Verba haec: καὶ γινώσκει πάντα, rectissime sic redduntur: quippe qui cognoscit omnia. Saepe enim καὶ est causalis particula.

(h) Vid. & cap. II. 28.



fyllogismum (a) aliquem exhibeat apostolus, de vi & forma huius fyllogismi non idem omnes sentiunt. Imo dolendum, plerosque eam Ioanni tribuere ratiocinationem, quae ipso est indigna, imbecillam videlicet & ad persuadendum non satis idoneam. Apparet vero hinc, non ita facilem esse huius argumentationis inuestigationem: id quod inde quoque colligi potest, quod multi interpretes de hoc apostoli fyllogismo plane silent, nec, qua ratione credant argumentatum esse apostolum, indicant.

Dedimus igitur operam haud perfunctoriam, vt veram inueniremus Ioannis argumentationem. Enimuero diu multumque inspecto hoc loco hunc tandem deprehendimus Ioannis fyllogismum: *Qui non amat eum, quem ob oculos habet, & cuius amore ostendere quemque DEVS iubet amorem suum & obsequium erga se, is hoc ipso prodit, se non amare DEVM, cui tanquam inuisibili aliam suum amorem praestandi occasionem non habet.* Consequentia haec satis manifesta est. Amoris enim erga DEVM naturalis & necessarius effectus est obedientia erga ipsius mandata, *Ioan. XIV. 23. & 1. Ioan. V. 3. Ergo, qui ait, a se amari DEVM, nec tamen amat fratres, mentitur, & id iactat, quod est a veritate remotissimum.* Non est, quod dubitemus, Ioanni haec scribenti ob oculos etiam esse versatam illam orationem CHRISTI, quam Matthaeus literis mandauit *cap. XXV. 35 -- 45.* vbi Saluator docet, se ultimo in iudicio ita allocuturum esse impios: *Vos me fame sitique laborantem nec cibastis nec potastis; eisque responsuris: O Domine, quam libenter cibum potumque tibi praebituri eramus, si te VIDISSEMUS sitientem esurientemque!* sic responsurum: Si

(a) Venit aliquando in mentem Dissertationem componere *de fyllogismis sacri codicis obscurioribus.* Praeter eum, quem nunc tractamus, altioris indaginis fyllogismi occurrunt *Matth. XXI. 20. 21. Ioan. VIII. 47. Gal. III. 16.*



*Si me amassetis, amassetis & meos, quos amari iussi. Iam, dum non amastis nec beneficiis prosecuti estis meos, hoc ipso demonstrastis, nec me a vobis amatum esse.*

Nunc etiam lucem accipit liquidissimam ille locus, qui 1. Ioan. IV. 11. 12. occurrit: ad quem & ipsum ita haeserunt multi interpretes, ut eius sensum minime perspexerint. Verba scilicet haec: *Si tam valde DEVS dilexit nos, etiam nos debemus alter alterum amare. DEVM enim ipsum nemo vidit quisquam; hunc habent sensum: Nos debemus amare inter nos. DEVS enim non est visibiliter nobis praesens: neque adeo immediate ipsi amorem demonstrare possumus nostrum. Quare amorem nostrum erga DEVM manifestare debemus amando eius in CHRISTO filios, eius effigies ad imaginem DEI creatas.*

Recitare nunc liceat aliorum quorundam de syllogismo Ioannis, cap. IV. 20. proposito, opiniones. Horneius ita eum (b) argumentatum esse credit: *Qui non facit id, quod est facilius, is non debet credi id facere, quod est difficilius. Atqui fratrem amare est facilius, quippe cuius necessitates nobis sunt cognitae: DEVM autem amare difficilius est, utpote cuius cognitio & sensu remotior est. Ergo, qui non amat fratrem suum, is multo minus DEVM amare credendus est. Annon aperte falsa est minor propositio? Annon amare DEVM ob tot ac tanta beneficia tum praeterita, tum praesentia, tum futura, longe facilius & proclivius est, quam amare proximum, non nos affi-*

(b) Eadem argumentatio & Hammondo placuit, itemque Ven. Rusemeyero, ita scribenti: Wenn man eher dasjenige lieben kan, was man siehet, als was man nicht siehet, so folget, daß, so wir Gott lieben, wir auch die Brüder lieben müssen. Nun aber ist es unstreitig, daß man eher dasjenige lieben kan, was man siehet, als was man nicht siehet. Darum folget, daß, so wir Gott lieben, wir auch die Brüder lieben müssen. Und daher, so jemand saget: Ich liebe Gott, und hasset doch seinen Bruder, der ist ein Lügner.



afficientem beneficiis, sed nostrae opis indigum, nostrasque facultates redditurum minores?

Ieiuna quoque est illa argumentatio, quam Ioanni tribuit (c) Erasmus. *Cum impii quoque, inquit, affectu quodam amplectantur proximum, vel quia cognatus est aut affinis, vel quia notus ac familiaris, vel quia homo denique videt hominem esse, quomodo DEVM diligit, quem non vidit unquam, cum oderit proximum, quem videt? Melior, sed nondum perfecta, est Nicolai Hemmingii interpretatio ratiocinationis Ioanneae, haec videlicet: Qui non diligit fratrem suum, quem videt, hoc est, filium DEI, gestantem patris viuam intaginem, is sane nec DEVM patrem diligit. Qui enim fieri potest, ut patrem ames, & eius imaginem, quam vult a te diligi, odio habeas?*

(c) Hunc eundem syllogismum apostolo nostro affingit in sua ad h. l. annotatione Isidorus Clarius.

ΠΑΤΕΡ. ἡμῶν, ἀγιαθήτω τὸ ὄνομά σου.

